libr. 9. *cap.* 61. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *caſ.* 367. ubi varias refert ſententias, Petr. Navarr. *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 246. Sanch. & Villadiego *ubi proximè*, Bobad. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 20. *cum ſequentibus*, & æquius, ac verius eſt, [...] poſſe; nam fides delinquentibus eſt ſervanda; Cevall. [...] *quæſt.* 292. ubi alii.

109 In illa quæſtione, an Judex, qui, impunitate promiſſa, ſuaſit reo in Eccleſia exiſtenti, ut ab ea exiret; communiter ſequuntur DD. diſtinctionem *D. Covarr. in præſenti*, Ant. Gom. *ſupr. numer.* 7. Sanch. *conſ. moral. d. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 12. & ultra *ſupr.* laudatos Authores alii, quos adducit Bobad. *dict. cap.* 13. *num* 17. *in gloſſ. lit. I.* Thom. Del-bene *tom.* 2. *cap.* 16. *dub.* 24. *num.* 13. Cevall. *ſupr.* qui teſtatur de praxi: & quid ſi reus non dolo Judicis, ſed alterius, ab Eccleſia recedat? Del-bene *ſupr. n.* 14. 15. qui diſtinguit, an Judex particeps fuerit fraudis, vel non.

AD CAPUT III.

Utrum fructuum ratio habeatur in reſtitutione in integrum, quæ cauſâ ætatis ſit.

SUMMARIUM.

1 *DD. materiam tractantes referuntur.*
2 *Verbum*, reſtituere, *in ſententia poſitum, quando fructus contineat.*
3 *Fructibus petitis cum re, qui Judicis officio debentur, ſi res reſtitui jubetur, reus cenſetur à fructibus abſolutus.*
4 *Minori reſtitutione in integrum conceſſa, an ſit res reſtituenda cum fructibus.*
5 *Intelligitur* cap. ad noſtram, de reb. Eccleſ.
6 *Feudum eſt beneficium, quod propter officium conceditur.*
7 *Creditor dominus directus rei ſibi in pignus datæ fructus ex ea perceptos ſuos facit.*
8 *Impugnatur interpretatio ab aliquibus tradita ad* dict. cap. ad noſtram.
9 *Bonam fidem habet, qui ſcit, rem à ſe per reſtitutionem in integrum auferri poſſe.*
10 *Fructus alij naturales, & induſtriales alij.*
11 *Communis diviſio fructuum.*
12 *Alia fructuum diviſio.*
13 *De differentia, ac natura fructuum, remiſſivè.*
14 *Fructus civiles, propriè fructus non ſunt.*
15 *Judicis arbitrio relinquitur, qui ſint fructus naturales, qui induſtriales.*
16 *In dubio fructus naturales potius cenſendi ſunt, quàm induſtriales.*
17 *Fructus naturales non quæruntur bonæ fidei poſſeſſori etiam cum titulo.*
18 *Fructus naturales fiunt bonæ fidei poſſeſſoris, etiam ſine titulo, maximè conſumpti.*
19 *Fructus omnes indiſtinctè ante litem conteſtatam percepti pertinent ad poſſeſſorem bonæ fidei.*
20 *Fructus naturales acquiruntur bonæ fidei poſſeſſori cum titulo, ſed eos tenetur reſtituere, ex quibus locupletior factus eſt.*
21 *Fructus conſumpti videntur extare, ex quibus poſſeſſor locupletior effectus eſt.*
22 *Quando præſumantur fructus conſumpti.*
23 *Poſſeſſor præſumitur locupletior factus ex fructibus, quos conſumpſit.*
24 *Nullus proprium patrimonium jactare creditur.*
25 *Poſſeſſor bonæ fidei ſine titulo fructus naturales ſuos non facit.*
26 *Poſſeſſor bonæ fidei fructus induſtriales extantes cogitur reſtituere.*
27 *Poſſeſſor bonæ fidei fructus induſtriales conſumptos non reſtituit.*
28 *Conventus principaliter propter fructus perceptos independenter à re aliqua, eos reſtituit omnino, ex quibus locupletior invenitur.*
29 *Conciliantur*, l. qui bona 23. & l. bonæ fidei 48 ff. de acquir. rer. dom. cum l. qui ſcit 25. § fin. ff. de uſur.
30 *Non videtur quis capere, quod alij tenetur reſtituere.*
31 *Fructus bona fide poſſeſſi per triennium uſucapiuntur.*
32 *An qui fructus conſumpſit ante triennium a die perceptionis, & poſt illud convenitur, debeat reſtituere eos, ex quibus locupletior factus eſt?*
33 *Uſucapio ſine poſſeſſione non procedit.*
34 *Subrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur.*
35 *Si poſſeſſor fructus uſucapiat, ceſſat eorum reſtitutio.*
36 *Res propria à domino uſucapi non poteſt.*
37 *Quod meum eſt, amplius meum fieri nequit.*
38 *Error juris bonam fidem parit quoad fructuum acquiſitionem.*
39 *Errans in jure nec malam, nec bonam fidem cenſetur habere.*
40 *Errans in jure, quoties jus actui reſiſtit, ſuos fructus non facit.*
41 *Error non præſumitur.*
42 *Præſumptio cedit veritati.*
43 *Ad fructuum adquiſitionem; malam fidem abeſſe ſufficit.*
44 *Diſtinctio quædam cum* D. Covar. *rejicitur, remiſſivè.*
45 *Juris & facti errore concurrente, bona fides oritur.*
46 *Abbas non exemptus nequit bona monaſterij ſui alienare abſque conſenſu Epiſcopi.*
47 *Abbas etiam exemptus ad alienationem rerum exiguarum debet petere licentiam ab Ordinario, ubi talis fuerit conſuetudo.*
48 *Ubi recepta eſt extravagans*, Ambitioſe, de reb. Eccleſ. *Abbas non valet alienare immobilia, aut mobilia pretioſa, abſque aſſenſu Pontificis.*
49 *Quæ ſolemnitates requirantur in alienatione rerum Eccleſiaſticarum? remiſſivè.*
50 *Alienatio rei Eccleſiaſticæ ſine debita ſolemnitate, eſt ipſo jure nulla.*
51 *Eccleſiæ ob enormiſſimam læſionem competit poſt quadriennium etiam reſtitutio*
52 *In reſtitutione in integrum ex juſtitia veniunt fructus.*
53 *Pontifex, ubi aliquid ex benignitate indulget, id exprimit, ne jus commune inducatur.*
54 *Additur alius intellectus ad* d. cap. ad noſtram.
55 *Vivente Prælato, qui alienavit, non labitur Eccleſiæ quadriennium ad petendam reſtitutionem.*
56 *Quanta debeat eſſe læſio, ut reſtitutio in integrum concedatur.*
57 *Relinquitur Judicis arbitrio.*
58 *Judices faciles eſſe non debent ad concedendam reſtitutionem in integrum.*
59 *Reſtitutio non eſt concedenda ob minimam læſionem.*
60 *Concedi debet ob grave detrimentum.*
61 *Intelligitur* l. ſcio, ff. de in integ. reſtitut.
62 *Etiam prudentiſſimi ſolent decipi contrahentes in exigua quantitate.*
63 *Minor læſus non reſtituitur, ſi prudenter ſe geſſit in actu, contra quem reſtitui deſiderat.*
64 *Non eſt æquum, ut contractus maximæ quantitatis ob leve damnum minoris reſcindatur.*
65 *Ad concedendam Eccleſiæ reſtitutionem quanta deſideretur læſio.*
66 *Judicis arbitrio relinquitur.*
67 *Remedio ordinario exiſtente, ceſſat extraordinarium.*
68 *Fallit, ſi magis pingue ſit extraordinarium.*
69 *Minor reſtitutus ob læſionem in pretio, rem præciſè avocare non valet, & infrà num.* 93.
70 *Contrarium qui doceant.*
71 *Judex tutè ſequitur opinionem communem, quam maluerit.*
72 *Judici licet amplecti ſententiam, quam ipſe minus probabilem putat.*
73 *Agens remedio* l. 2. C. de reſcindend. vendition. *fructus*

non

non conſequitur ante litem conteſtatam perceptos.
74 *De minimis non curat Prætor.*
75 *Licitum eſt contrahentibus, ſe invicem decipere.*
76 *Pro re minima actio furti non datur.*
77 *Fama hominum plurimi haberi debet.*
78 *Fama eſt vitâ charior.*
79 *Damnatus furti, infamiâ notatur.*
80 *Ubi de pœnis diſputatur, benignior pars eligenda eſt.*
81 *Pœnæ ſunt reſtringendæ, non ampliandæ.*
82 *Intelligitur textus in* §. Gallinarum, Inſt. de rer. diviſ.
83 *Non eſt idem, furtum committere, & furti actione teneri.*
84 *Doloſus eſt, qui vel in uno nummo alterum decipit.*
85 *Dolus non in quantitate, ſed in facti qualitate conſiſtit.*
86 *Prætor præ oculis æquitatem ſemper habere.*
87 *Actio de dolo pro re minima non datur.*
88 *Interpretatur* l. vulgaris, ff. de furt.
89 *Non tam verbis, quam menti Legiſlatoris ſtandum eſt.*
90 *Eccleſia enormiſſimè læſa uſque ad triginta annos reſtituitur.*
91 *Intellectus* l. fin. tit. fin. part. 6. *in prima parte; remiſſivè.*
92 *De ejuſdem legis intepretatione in ſecunda parte, remiſſivè.*
93 *Reſtitutus, quia læſus fuit in pretio, non avocat rem præciſè juxta Communem; vide ſupra*, num. 69.
94 *Ratio decidendi ad* dict. cap. ad noſtram, *traditur.*
95 *Fructus feudi præſumuntur æquales labori, & obſequio vaſſalli.*
96 *Vaſſallo omnis utilitas feudi debetur.*
97 *In datione in feudum locus non eſt* l. 2. C. de reſcindend. vendit.
98 *Non eſt proprie feudum, quod conceditur pro annua penſione.*
99 *In reſtitutione ex gratia fructus non veniunt, ſecus ex juſtitia.*

1 AD rem hanc conſulendi ſunt, Guttierr. *practic. quæſt. lib* 4. *quæſt.* 69. Sforcia Oddus *de reſtit. in integr.* 1. *part. quæſt.* 45. *artic.* 2. Pichard. *in* §. *extraneis*, *num.* 53. *cum ſequentibus*, *Inſtit. de hæredum qualit.* Surd. *deciſ.* 45. Pinel. *in l.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. *C. de reſcind. vendit.* Morla *in empor. jur. tit* 5. *de in integr. reſtitut.* 1. *part. quæſt.* 1 *num.* 31. Cancer. *variar. part.* 2. *cap.* 1. *à numer.* 187. Molin. *de inſtit. & jur. diſp.* 575. Coſta *in l.* Gallus, §. *& quid ſi tantum*, *part.* 2. *à num.* 53 *ff. de liber. & poſthum.*

Ad Num. 1.

2 Verbum *reſtituere*, in ſententia poſitum, an fructuum condemnationem contineat? controvertitur, & eſt pro utraque parte communis opinio. Sed hæc reſolutio tenenda eſt, quod cum ex natura actionis veniunt fructus, ut in actionibus reſtitutoriis, judiciis univerſalibus, & ſimilibus, ex eo quod Judex, *reſtituere*, verbo utitur, res cum fructibus reddi debet; ſecus ſi actio ejus naturæ non ſit, Caſtil. *quotidian. libr.* 5. *cap.* 135. *num.* 10. Parlador. *different.* 42. *num.* 10. Pont *deciſ.* 25 *num.* 9. & 10. Noguerol. *alleg.* 8. *numer.* 42 latè Hermoſ. *in l.* 28. *tit.* 5. *part.* 5. *gloſſ.* 2. *ex num* 95. qui à *num.* 98. cum Surd. *deciſ.* 98. docet,
3 quod ſi petantur fructus cum re, ubi officio Judicis debentur, & Judex reſtituere jubeat rem, cenſebitur reus à fructibus abſolutus, neque amplius ad eos agi poterit.

Ad Num. 2.

Verſ. *Erit igitur expeditum.*

4 Ex DD. *in principio hujus capitis* laudatis conſtat, receptiſſimum eſſe, minori per integrum reſtitutionem, rem cum fructibus à die contractus perceptis fore reddendam; quibus adjungendi ſunt Cyriac. *controverſ. tom.* 2. *cont.* 321. *num.* 77. Gamma *deciſ.* 312. *num.* 1. ubi Flores de Mena, Cevall. *commun. tom.* 3. *quæſt.* 763. *num.* 68. Meneſes *in l.* 2. *n.* 30. *C. de reſcind. vendit.* Simoncel. *de decret. lib.* 3. *tit.* 7. *inſpect.* 7. Menchaca *controverſ. uſufrequent. lib.* 3 *cap.* 65. 66. Ant. Gom. *Luſitan. deciſ.* 212. Caldas *in l. ſi curatorem habens*, *verb. Implorandum*, *num.* 13. Aliqui nihilominus contra ſentiunt, Molin. *num.* 4. Rebuf. *tom.* 2. *ad leg. Gallicas rubric. de reſtitutionib. gloſſ.* 3. *num.* 31. atque idem ſenſiſſe Senatum Gratianopolitanum, teſtis eſt Franciſc. Marc. *quæſt.* 21. *part.* 1. *teſtaturque de praxi* Pi[...] *dict. cap.* 4. *num.* 7. qui ſentiunt, à die litis con[teſt]atæ fructus deberi; de quo videndi ſunt Guttierr. & alij *ſuprà.*

Ad Num. 3.

De interpretatione *cap. ad noſtram, de reb. Eccleſ.* 5
agunt, Guttier. Pinel. Mol. Morla *ubi ſupra*, & alij, quos congerit Barboſ. *in collect. ad eum textum*, & inter varios intellectus ille magis arridet, quem ex Menchaca refert Uffel. *in præſent.* Ideo enim fructus non reſtituuntur in illa ſpecie, quòd cedant feudatario in compenſationem obſequij, quod tanquam vaſſallus exhibere Monaſterio tenebatur; quo referenda ſunt illa verba Pontificis: *cum ſibi fructus percepti ſufficere debeant pro labore.* Qui nequaquam loquitur de labore fructuum percipiendorum, nam iniquum eſſet propter hunc, poſſeſſorem univerſos fructus lucrari; cùm ſufficeret, partem aliquam in mercedem ipſius relinqui, maximè cùm ita fuiſſent uberes, ut ibi refertur; quod advertit D. Covarru. *numer. ſequenti*, cum Coſta *in dict* § *& quid ſi tantum*, 2. *part numer.* 75. Retinet
ergo omnes fructus feudatarius (quos aliàs reſtituere com- 6
pelleretur) propter obſequium; nam feudum eſt beneficium, quod ob officium datur: *cap. unico*, *de vaſſall. milit. qui arm. bellic. depoſuit.* Sic dominus directus ſine diſtin- 7
ctione fructus univerſos ſuos facit (licet aliqui aliud doceant) è re feudali perceptos, ſibi in pignus à vaſſallo data, nec in ſortem computat; quia cùm interim ceſſet obſequium, non debent ad feudatarium pertinere; *cap.* 1. ubi Gloſſ. *de feud. cap. conqueſtus de uſur.* Barboſ. *in collectan. ad dict. cap.* 1. ubi plures laudat.

Ad Num. 4.

Verſ. *Secundo, præfata deciſio.*

Intellectus hic divinat, reſtringens generalia Pontificis 8
verba, qui indiſtinctè decidat, fructus feudatario relinquendos; & ita textum interpretantur communiter Doctores, pro ut ex nuper allegatis apparet. Præterea expeditum non eſt omnino, fructus non eſſe minori reſtituendos, ſi conſumpti ſint, nec poſſeſſor ex eis fuerit locupletior factus, ut videre eſt apud Guttierr. *num.* 25. & Oldum, *num.* 20. & ubi lex generaliter loquitur, diſtinctio adhiberi non poteſt, *l. de pretio* 10 *ff. de public. in rem action.* Del-bene *ſupra cap.* 3. *dubi.* 12. *num* 9. Tuſch. *lit. D. concluſ.* 508. Auguſt. Barboſ. *axiomat.* 136. *num.* 4. ubi multi.

Ad Num. 5.

Bonam fidem habere; qui ſcit rem à ſe per reſtitutio- 9
nem in integrum auferri poſſe, docet cum Molin. *dict. diſp.* 575. Guttier. *n.* 24.

Ad Num. 6.

Hanc fructuum diviſionem in naturales & induſtriales 10
ſequuntur Pinel. *d. cap.* 4. *num.* 52. Sanch. *oper. moral. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 52. apud quem Joann. Cop. Guttierr. Menoch. & Caſtillo. Sed communiter juris interpretes 11
tertiam admittunt ſpeciem fructuum, quos *Civiles* appellant, Mareſcot. *variar lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 1. Carleval. *tom.* 2. *tit.* 3. *diſp* 34. *num.* 21. Merlin. *de pignor. lib.* 2. *tit.* 1. *quæſt.* 53. *num.* 17. Eſcobar *de ratiocin. cap.* 29. *num.* 4. Pichar. *in* § *ſi quis à non domino*, *num.* 7. *Inſt. de rer. diviſ.*
Alij aliter dividunt fructus, in naturales, induſtriales, ac 12
mixtos, qui autem ſint naturales, qui induſtriales; qui 13
civiles, & mixti; præfati docent DD. Illud verò comper- 14
tum eſt, vecturam navis, penſiones domorum, lucrum ex mercatura, &c. quæ *fructus civiles* nuncupantur, propriè fructus non eſſe, ſed eorum vices gerere, *l. mercedes* 29. *ff. de petit. hæred. l. cum ſervus* 39. §. *fructus ff. de leg.* 3. *l. uſura* 34. *ff. de uſuris*, Lugo, qui ultimam proximè traditam fructuum diviſionem probat, *de juſt. & jur. tom.* 1. *diſp.* 17. *num.* 38. Sanch. *num.* 53. Carroc. *de locat. tit. de verb. ſignif. quæſt.* 10. *num.* 5. Cyriac. *dict. tom.* 2.

contro-

15 controverſ. 397. num. 20. & 21. Qui autem fructus naturales, & qui induſtriales cenſeantur? Judicis arbitrio diſcernendum eſt, illa præmiſſa regula, quod denominantur à potiori cauſa; nam quod producitur naturâ ipſâ, nulla, aut modica homini induſtria interveniente, fructus eſt naturalis; ſed ubi magis labore humano, quàm naturâ quid naſcitur, inter fructus induſtriales habetur; Sanch. num. 48. & 49. Menoch. de arbitrar. caſ. 210. num. 19. Verum
16 ſi contingat, in fructuum productione ita concurrere naturam, & hominis induſtriam, ut vel prudentiſſimus Judex aſſequi non valeat, cui magis tribuendum ſit, fructus naturales reputabuntur, quoniam naturalis cauſa in dubio debet prævalere; l. qui habet, ff. de tutel. Sanch. num. 50. Menoch. conſ. 51. num. 28. Tiraquell. de utroque retract. § 30. gloſſ. 1. n. 26. Mareſcot. variar. lib. 1. cap. 50. à n. 4.

Verſ. *His ſanè præmiſſis.*

17 Circa fructus naturales perceptos à bonæ fidei poſſeſſore, aliis omiſſis minus probabilibus, triplex eſt ſententia. Prima habet, minimè acquiri percipienti, etſi titulo ſit munitus; hæc nititur l. fructus 45. ff. de uſur. defenditurque communiter à pluribus, quos recenſet Sanch. num. 65.
18 Secunda huic oppoſita docet, poſſeſſorem bonæ fidei, licèt titulo careat, fructus naturales irrevocabiliter ſibi acquirere, maxime ſi conſumpti ſint; pro qua facit l. bonæ fidei 48. ff. de acq. rer. dom. & §. ſi quis à non domino, Inſt. de rer. diviſ. eámque ſuſtinent Ant. Faber. lib. 4. conjectur. cap. 17. Fachin controverſ. jur. lib. 1. cap. 57. qui alios memoratur, & ita in praxi obtinuiſſe teſtantur Bellamer. in cap. gravis, n. 8. & 9. de reſt. ſpoliat. Petr. Barboſ. in l. divortio 8. in princ. p. 2. n. 48. Pinel. d. cap. 4. num 47. 56. &
19 60. qui duo ultimi DD. aſſerunt, in judiciis non inſpici, an fructus induſtriales ſint, vel naturales, nec utrum conſumpti ſint, nec ne? ſed indiſtinctè omnes poſſeſſorem bonæ fidei lucrari, quos ante litem cœptam percepit.
20 Tertia inter utramque media aſſerit, eum poſſeſſorem habentem titulum, fructus naturales ſibi quærere cum onere reſtituendi extantes, vel etiam conſumptos, ex quibus locupletior fuerit effectus: & quoad primam partem, habet pro ſe dict. l. bonæ fidei, & d. §. ſi quis à non domino: Ultima ſuadetur ex æquitate, l. ſi & me, & Titium 32. ff. ſi cert. pet. & ex l. certum 22. C. de rei vendic. dum in ea deciditur, fructus extantes fore reſtituendos; nam & illi, ex
21 quibus is, qui conſumpſit, ditior factus eſt, in ejuſdem patrimonio æquivalenter extant, Lugo ubi nuper, num. 39. atque his, & aliis fundamentis cum D Covarr ſentiunt Menoch. de adipiſc. poſſeſ remed. 15. num. 580. & ſequenti, Cujac. in d. § ſi quis à non domino, Sanch. plurimos allegans num. 68. & eſt valde communis, maxime apud Theologos, de quo videndi etiam ſunt, Garcia de expenſ. cap. 23. num. 35. 36. Pichard. in d. § ſi quis à non domino, num. 13. 14. Spin. in ſpecul. teſtamentor. gloſſ. 13. princip. num. 50. 51. Rebell. de obligat. juſtit. p. 1. lib. 2. q. 4. num. 8. concluſ. 2. & num. 11. concluſ. 4. Didac. Perez in l. 1. gloſ. 1. col. 1. tit. 13. lib. 3. ordinament. Donell. commentar. jur. civil. lib. 20. cap. 5. col. 10. 15.
22 Juxta quam opinionem duo notanda ſunt. Primum, cum dubitatur, an fructus extent, vel ſint conſumpti? Si ante triennium à die collectionis agatur, poſſeſſor probare debet conſumptionem: at poſt illud tempus, probationis onus incumbit agenti, ut eos extare oſtendat; ſic Sanch. ex aliis
23 num. 74. Secundum, num qui fructus conſumpſit ex illis ditior factus præſumatur? & Pinel. num. 64. ſentit ditiorem præſumi; & eſt communis opinio, cui ſubſcribunt relati à Menoch. num. 587. Ipſe tamen contrarium docuit, ſequutus quod magis receptum in praxi affirmat; ſed pro
24 prima ſententia facit, quod nemo patrimonium ſuum prodigere creditur, l. cum de indebito 25. ubi notatur, ff. de prob. & ſic conſumendo fructus, poſſeſſorem in propriam utilitatem eos impendiſſe præſumendum erit, niſi contrarium per eundem probetur.

Verſ. *Secunda concluſio.*

25 De hac concluſione conſulendi ſunt DD. in proxima allegati, præſertim Sanch. Pichard. & Menoch. qui differentiam admittunt cum D. Covarr. inter poſſeſſorem cum titulo, & ſine illo, quoad acquiſitionem fructuum naturalium; ſed ipſam reprobat Pinel. aſſerens, rarò evenire poſſe, dari abſque titulo bonam fidem: & tandem concludit, quod, etſi contingat, talis poſſeſſor non tenetur ad horum fructuum reſtitutionem; ſicut enim jure uſucapio introducta eſt, ita & acquiſitio fructuum pro cultura & cura potuit bonæ fidei poſſeſſori concedi, prout præallegatis legibus apertè conceſſa eſt, nullibique de reſtitutione tractatur ſaltem quoad conſumptos.

Verſ. *Tertia concluſio.*

Omnium ferè eſt concors ſententia, poſſeſſorem bonæ 26
fidei fructus induſtriales extantes fore reſtituturum, juxta d. l. certum, niſi jam illos uſuceperit; Pinellus autem inficiatur volens, quoad hoc, d. conſtitutionem in uſu non eſſe; ſed & dici poteſt, verbum, extantes, pro pendentibus accipiendum.

Licet pluribus placeat, maximè Theologis, bonæ fidei 27
poſſeſſorem teneri etiam ad reſtitutionem fructuum induſtrialium conſumptorum, cum ex illis ditior inveniatur; Sanch. cum multis, num. 77. Menoch. num. 598. Contrarium verius, ac in praxi receptius, teſtantur Cevall. tom. 1. quæſt. 119. Mareſcot. lib. 2. cap. 112. num. 59. Pinel. dict. cap. 4. Bellamer. dict. num. 8. Ant. Gab. commun. lib. 5. tit. de acquirend. rer. domin. concl. 2. num. 3. Garcia ſup. n. 40. in fine, & ſtylo Rotæ comprobatur, pro qua opinione ſunt apertiſſima jura in l. 19. tit. 28. p. 3. ubi Greg. Lop. & in l. ſi contra, C. ſi ignor. rem. min. quibus nullus æquè ſatisfacit; quare Sanch. num. 85. & 86. d. l. Regia conſtrictus docet, primam ſententiam, quam amplectitur, de jure Caſtellæ veram non eſſe, admittens correctionem juris communis, quæ omnino vitanda eſt, l. præcipimus, cum vulgatis, C. de appellat. Tuſch. lit. C. concluſ. 1036. Surd. deciſ. 21. n. 19. Pichard. ad princip. num. 34. Inſt. de leg. Falcid. Molin. de primog. lib. 3. cap. 13. num. 41. 42.

Sed Mareſcot ubi proximè, num. 63. docet cum aliis, 28
D. Covarr. ſententiam omnino tenendam, uſuque approbari, quoties principaliter, & independenter à re aliqua ad fructus agitur; veluti ſi quis annuas præſtationes, quibus fuerat ſpoliatus, ſibi reſtitui poſtularet; nam perceptæ, ſunt reſtituendæ, etiam conſumptæ, ſi locupletior extet poſſeſſor ex illis.

Ad Num. 7.

Contrarietatem continere textus in l. qui bona 23. & 29
dict. l. bonæ fidei, cum l. qui ſcit 25. §. fin. ff. de uſur. uſum fuit Eguinario, & Horom. in dict. §. ſiquis, Menoch. d. rem. 15. num. 614. in fine, Joann. Cop in tract. de fruct. lib. 2. tit. 4. cap. 5. num. 5. & 6. At cum expediat jura juribus conciliari, cap. cum expediat. 29. ubi notant DD. quorum plures congerit Auguſtin. Barboſ. ibi. de elect. lib. 6. Cevall. commun tom 2. q. 758. num. 38. Del-bene de immunit. Eccleſiaſt. tom. 2. cap. 16. dubitat. 5. n. 6. Tuſch. lit. C. concluſ. 1008. num. 7. Cyriac. tom. 2. controverſ. 387. num. 39. 40. Alderan. Maſcard. de ſtatut. concluſ. 8 num. 65. cum ſeqq. varia pro eorum textuum conciliatione Interpretes ſcripſerunt; ſed inter cætera, illud magis; veritati videtur accedere, quod doctiſſimus Cujac. excogitavit in d. §. ſiquis; inquit enim, Julianum in d. §. fin. loquutum fuiſſe de domino revocabili, quod bonæ fidei poſſeſſori quæritur, donec res fructificans fuerit per evictionem ablata, interim quidem fructus ſuos facit; ſed evictione ſequuta, reſtituit; nam mala fides præſumpta, quæ per judicii inchoationem contingit, non ſufficit, ſicut vera, ad impediendam fructuum acquiſitionem, ſed ſolum onus reſtitutionis inducit. Ulpianus autem, & Paulus in legibus præcitatis negant, poſt litis conteſtationem fructus acquiri, quoad effectum, & inſpecta veritate, cum illi ſint
reſtituendi, quia non videtur quiſquam id quærere ſibi, 30
quod alii tenetur reſtituere, l. aliud eſt capere 71. ff. de verb. ſignif. l. non videtur 52. ff. de reg. jur. Aliter hæc jura componit Sanch. num. 153. ex Joan. Garcia, ubi & alias refert conciliationes.

Verſ.

Verſ. *Quarta concluſio.*

31 Fructus per triennium bona fide poſſeſſi uſucapiuntur, atque ideo reſtituendi non ſunt, licet extent, vel conſumpti ſint; Menoch. num. 588. Lugo d. diſp. 17. num. 40.
32 Sanch. num. 87. qui plures cumulat. Sed dubium eſt, utrum qui ante triennium fructus expendit, ſi poſt id tempus conveniatur, debeat eos reſtituere, ſi ex illis factus ſit locupletior? & affirmant Deci. in d. l. ſi & me, & Titium, num. 2. Tiraq. de retract. lignag. §. 15. gloſſ. 2. num. 17. Merlin. de legitima lib. 2. tit. 1. quæſt. 1. num. 40. & alii adducti à Sancio, num. 91. Ipſe verò contrarium ex pluribus probat cum Pinel. d. cap. 4. num. 48. ſecundum quos ſufficit, fructus, antequam poſſeſſor conveniatur, per tres annos à ſolo fuiſſe ſeparatos, ut ipſos reſtituere
33 non debeat. Nec refert, uſucapionem ſine poſſeſſione non procedere, l. ſine poſſeſſione 25. ff. de uſucapion. Quoniam, ut Sanch. explicat, fructus conſumpti non uſucapiuntur, ſed actio pro eis domino competens præſcribitur, quæ etſi triginta annis regulariter vivat, l. ſicut 3. C. de præſcrip. 30.
34 vel 40. ann Hoc caſu ſpecialiter perit eodem tempore, quo fructus, pro quibus datur, uſucaperentur, ſequens naturam eorum, quorum loco ſubrogatur: argum. l. 1. § ſi quis ſub conditione, ff. ut leg. nom. cau.
35 Altera difficultas ſe offert circa doctrinam D. Covarr. in præſenti traditam; quoniam generaliter docet, ceſſare fructuum reſtitutionem, ſi eos poſſeſſor uſucapiat; cui om-
36 nes conveniunt. Sed cùm ſuprà teneat, fructus frequentiſſime acquiri bonæ fidei poſſeſſori, implicat, quod illis caſibus poſſit uſucapere ipſum fructus, qui ſui ſunt, cùm hoc expreſſe inficietur Paulus in l. 4. §. lana, ff. de uſucap.
37 Quia quod meum eſt, amplius meum fieri non poteſt, ut ait Juſtinianus in §. ſed ſi rem, Inſt. de legat. l. 3. §. ex pluribus, ff. de acq. poſſeſ. Huic Sanch. num. 88. ſatisfacit, aiens, regulam dict. §. lana, & cæterorum jurium, tunc obtinere, cum dominium irrevocabile quis eſt conſequutus: at quoties poteſt revocari, ut in fructibus acquiſitis cum onere reſtitutionis, bene admittitur uſucapio. Adhuc urget d. §. lana, quoniam agens ibi Conſultus de fructibus, quos Sanch. putat eſſe reſtituendos, inquit, eos uſucapi non poſſe, quia ſtatim poſſeſſoris fiunt. Ergo quamvis dominium revocabiliter quæratur, impedit uſucapionem. Has difficultates evitant, qui ſentiunt, poſſeſſorem bonæ fidei, ſive titulum habeat, ſive non, fructus conſumptione irrevocabiliter ſuos facere; quod verius videtur, & uſu (qui eſt melior legum interpres, l ſi de interpretatione 37. ff. de legib. Argel. de acquir. poſſeſ. quæſt. 2. art. 8. num. 9. Del-bene de immunit. Eccleſiaſt. tom. 1. cap. 1. dubit. 8. num. 5.) comprobatur.

Ad Num. 8.

Bonam fidem ex juris errore oriri, quoad fructus ac-
38 quirendos, compertum eſt, de quo Sanch. num. 163. Menoch. num. 628. cum ſequentib. Guttier. de tutel. 2. part. cap. 5. num. 14. Cyriac. tom. 2. controv. 331 num. 1. Surd. conſ. 115. num. 3. Ant. Gom. in l. 45. Taur. num. 106. in fine, Cacher. Pedemont. deciſ. 159. num. 5. Becci conſ. 95. num. 15. Beroius in cap. ſiquis preſbyterorum, num. 41. de reb. Eccleſ. & alii apud Ricci. in prax. for. Eccleſiaſtic. deciſ. 18. num. 3.

Aliqui putant, in jure errantem neque in bona, neque
39 in mala fide conſtitui, ſed medium inter utramque tenere, & hoc ad fructus lucrandos ſufficere, Bart. in l. ſed & ſi lege, §. ſcire, n. 4. ff. de petit hæred. Beroi. in cap. gravis, n. 24. verſ. Subdo tamen, de reſt. ſpoliat. Pinel. in authen. niſi tricennale, n. 11. C. de bon. mater. Menoch. ubi proximè.
40 Sed illa regula communiter limitatur, quando jus reſiſtit actui, in quo error intervenit; nam tunc non prodeſt ad fructuum acquiſitionem, Menoch. num. 634. Cyriac. ſuprà, d. controv. 331. num. 16. Barboſ. in collect. ad l. jubemus, §. ſane, num. 20. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Guttierr. num. 17. Balbus in l. Celſus, n. 20. 21. ff. de uſucap. Grammatic deciſ. 79. num. 8. 9. Cacheran. ſuprà, num. 11. Caballin. milleloq. 315. Pariſ. in cap. ſi diligenti, num. 27. de præſcriptionib. apud quos alii permulti; ex quibus apparet, hanc limitationem receptiſſimam eſſe, adverſus D. Covarr. in præſenti, quem tamen tuentur Sanch. num 164. Igneus, Navarr. Joan. Garc. quos ipſe refert, M[…] in empor. jur. p. 1. tit. 5. quæſt. 1. num. 42. Sfort. […] de in integ. reſtitut. quæſt. 45. art. 2. num. 22. Ant. Fab. de errorib. pragmatic decad. 7. error. 6. Neque urgent jura, quæ pro adverſariis facere videntur; nam dum probant malam fidem habere, qui contra jus reſiſtens emit; non ſunt intelligenda ubi error intervenit, ſed cum ſcienter contra prohibitionem operatur, quod leges præſumunt regulariter; cap. qui contra 82. de reg. jur. in 6. Mench. controverſ. illuſtrium cap. 81. Farinac. in prax. crimen. part. 3. q. 89. num. 83. Menoch. cum pluribus de præſumpt. lib. 3 præſ.
130. num. 33. Quoniam error non præſumitur, niſi per- 41
ſonarum conditio, aut aliæ conjecturæ eum ſuadeant, ſed ab allegante probari debet; Menoch. de præſumpt. lib. 6. præſ. 23. num. 10. cum ſequentib. Sanch. num 45. Boſſi. in prax. crim. tit. de confeſ. n. 19. Maſcard. de probat. concluſ. 378. & 637. & eo probato ceſſabit mala fides præſumpta, Garc. de expenſ. cap. 23. n 34. Barboſ. in collect. ad l. 2. n.
3. Cod. ſi quis ignor. rem minor. ſi quidem præſumptio de- 42
bet ſuccumbere, & cedere veritati, l. nuptura, 58. ff. de jur. dot. Mantic. de conjectur. ultim volunt. lib. 1. tit. 1. à n. 10. Menoch. lib. 2 præſ. 75. n. 27.

Malam fidem abeſſe, ad acquiſitionem fructuum ſuf- 43
ficere, etſi bona fides non ſit, ſentiunt cum D. Covarr. Bart. Beroi. & Pinel. ubi numer, Sanch. verò num. 181. concedit, poſſe dari medium inter bonam, & malam fidem ſpeculativè, ſed non practicè, quod ibi bene explicat.

Verſ. *Cæterum opinio præcedens.*

Hanc diſtinctionem reprobant itidem, Sanc. num. 165. 44
Joan. Garcia ſup. dict. cap. 23. num. 24. Guttier. ubi ſupr. num. 18.

Verſ. *Poteſt etiam opinio.*

Juris, & facti errore concurrente, bonam fidem oriri, 45
docent Guttier. num. 15. Sanch. n. 163. in fine, qui alios referunt, Molin. de primogen. lib. 2. cap. 6. n. 68. verſ. Illud tamen, Cacheran. ſupr. n. 9. ad finem.

Ad Num. 9.

Abbatem non exemptum minimè poſſe ſine Epiſcopi 46
conſenſu rem Eccleſiæ ſuæ alienare; ſed tacitum ſufficere, firmant Layman lib. 3. tract 4 cap. 10. num. 4. Thom. Del-bene de immun. & juriſd. Eccleſ. part. 2. cap. 17. dub. 9. n. 17. & 18. Idem in Abbate exempto, ſi rem exiguam alienet, ubi talis conſuetudo eſt admiſſa, nam tenebitur licentiam poſtulare ab Ordinario loci, vel à Legato de latere, ſi Eccleſia ſit ſita intra provinciam, in qua ille ſuo munere fungitur, Pellizzari. in manual. Regular. 1. part. tract. 6. cap. 8. num. 140. & ubi extravagans, Ambitioſe, de reb. Eccleſ. recepta eſt, neceſſariò deſideratur aſſenſus Pontificis in alienatione rerum immobilium, aut pretioſarum mobilium, niſi in caſibus jure expreſſis: Tondut. canonic. quæſt. lib 1. cap. 98. num. 2. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. p. 3. alleg. 95. num. 66. Leo in theſaur. Forenſ. cap. 15. num. 7.
Del-bene ubi proximè, num. 29. cum ſequentibus, qui de 47
requiſitis, ac ſolemnitatibus in alienatione rerum Eccleſiaſticarum noviſſimè agit; & Pellizzar. ubi ſuprà, num. 111. de alienatione rerum ad Regularium monaſteria ſpectantium tractat; quibus ſublata ſunt univerſa privilegia, quoad hujuſmodi alienationes, decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini juſſu Urbani Octavi edito, anno 1624. per quod alienare prohibentur res Monaſteriorum, niſi accedat expreſſa ipſius Sacræ Congregationis licentia, refert, Del-bene d. diſp. 17. dub. 1. num. 6.

Intellectus hic ad cap. ad noſtram, nullo modo defendi 48
poteſt; nam præter quam quod manifeſtè divinationis vitio laborat; ſi ibi interceſſiſſet defectus ſolemnitatis, nullus foret ipſo jure contractus, ita ut nec ſententia declaratoria deſideraretur; quare fructus acquirere non poteſt is, in quem res fuit alienata, dict. extravag ambitioſe, Molin. de juſt. & jur. tom. 2. diſp. 466. Pater. Suar. de relig. 4. tom. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 20. & 21. Del-bene, numer. 9.

Tondut.